Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25938
Copyright: Admont, Benediktinerstift



aut diligit iniquitatem odit animam
suam. Pluit super peccatores laqueos ignis sulphur et spiritus procellarum
pars calicis eorum. Quoniam iustus
dominus et iustitias dilexit equitatem vidit vultus eius.
Salvum me fac domine quoniam defecit sanctus. quoniam diminuti sunt veritates a filiis hominum.
Vana locuti sunt unus quisque ad proximum suum. labia dolosa in corde
locuti sunt. Disperdat dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam. Qui dixerunt
linguae nostrae magnificabimus labia nostra a nobis sunt quis noster
dominus est. Propter miseriam inopum
et gemitum pauperum nunc exurgam dicit dominus. Ponam in
salutari fiducialiter agam in eo.
Eloquia domini eloquia casta argentum ignis examinatum probatum terra purgatum septuplum. Tu
domine servabis nos et custodies nos a generatione hac in aeternum. In circuitu impii ambulant secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.
Usque quo domine obliviscaris me in finem. usque quo avertis faciem tuam a me. Quamdiu ponam consilium in anima mea
dolorem in corde meo per diem usque quo exaltabitur inimicus meus super me
respice et exaudi me domine deus meus.
Illumina oculos meos ne unquam
obdormiam in morte ne quando
dicat inimicus meus prevalui
adversus eum. Qui tribulant
me exultabunt si motus fuero ego
autem in misericordia tua speravi. Exultabit
cor meum in salutari tuo. cantabo
domino qui bona tribuit mihi et
psallam nomini domini altissimi.
Dixit insipiens in corde suo non est deus. Corrupti sunt et
abhominabiles facti sunt in
studiis suis. non est qui faciat bo
num. non est usque ad unum. Dominus de
celo prospexit super filios hominum. ut videat si est intelligens aut requirens
deum. Omnes declinaverunt simul in
inutiles facti sunt. non est qui faciat bonum
non est usque ad unum. Sepulchrum
patens est guttur eorum linguis suis
dolose agebant venenum aspidum
sub labiis eorum. Quorum os maledicti
one et amaritudine plenum est veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infe
licitas in viis eorum et viam pacis
non cognoverunt non est timor dei ante
oculos eorum. Nonne cognoscent omnes
qui operantur iniquitatem qui de
vorant plebem meam sicut escam pa
nis. Dominum non invocaverunt illic tre
pidaverunt timore ubi non erat timor.
Quoniam dominus in generatione iusta est con
silium inopis confudistis quoniam do
minus spes eius est. Quis dabit ex
syon salutare israel. cum averterit
dominus captivitatem plebis suae exul
tabit iacob et letabitur israel.
Domine quis habitabit in
tabernaculo tuo. aut quis
requiescet in monte sancto tu
o. Qui ingreditur sine macula. et
operatur iustitiam. Qui loquitur
veritatem in corde suo. qui non egit
dolum in lingua sua. Nec fecit
proximo suo malum et opprobrium
non accepit adversus proximos
suos. Ad nichilum deductus est in
conspectu eius maligni timentes